Serenissime princeps & domine domine naturalis noster gratio
sissime. Post humilem subiectionem ac perpetue fidelitatis
constantiam. Intellecta Turcorum fama, nuper regie maiestati
litteris nostris mediantibus significata, ad certiores investiga
ciones ipsorum subordinavimus certum mercatorem trans
alpinum, hominem iudicio nostro fidedignum, quem communi
cationem iuxta exigentiam negociandi gratia cum solerti informa
cione ad Turciam misimus, qui hesterna luce ad nos rediit
referendo imperatorem Turcorum dominica proxima post
festum sacratissimi corporis Cristi cum castris suis de civi
tate Trinapoli proficiscentem versus castrum Nandoralbensem movisse
& inter exercitum imperatoris per triduum cum mercibus suis
profectus fuisset, intellexisseque ibidem, quod populus exercituantium
extenderet se ad bis centena milia, currusque cum diversis bom
bardis & pixidibus cooperatos, multos currus lapideos glo
bos deferentes, inter quos globos certa milia fuerunt, quorum
unus iuxta suam estimacionem ad tres centenarios ponderaret
Audivisseque in exercitu pro certo dicere imperatorem oppugnato
prefato castro Nandoralbensi, quod non cum magna difficultate
& mora obtinere putaret, e vestigio Budam versus iter diri
gere statuisse. Estimatque idem mercator, usque modo ipsum
castrum Nandor attigisse imperatorem cum precipitancia
venit. Dixit idem Memethbek Basam transdanubianum
versus partes transalpinas octuaginta milia Turcorum
in castris habere, qui adventum quinquaginta milium
Tartarorum expectarent & in has partes Transilvanas
circa Brassoviam irruerent. Eodem die Wayvoda Transal
pinensis medio homine suo nobis significavit, ipsum Turcorum
imperatorem cum castris suis iam de Trinapoli se movisse
ut iter versus castrum Nandoralbensem ad oppugnandum diri
geret cum innumerabili populo, haberetque inter cetera camelos
ad quatuor milia bellicas machinas portantes. Et Mehmeth
bek validum exercitum congregatum trans Danubium
haberet. Et ipsum Wayvodam instanter similiter imperator
Turcorum per nuncios infestarent & impellerent ut gentem
transalpinensem prefato Mehmethbek ad invadendum has partes
Transilvanas adiungeret. Hodie vero die datarum presentium
idem Wayvoda rursus per alium nuncium qui ad maies
tatem vestram proficiscitur nobis intimavit eo modo sicut hesterna